CAP. I.

SI quis [1] enim alterna fidejussione obligatos sumat aliquos: si [2] quidem non adjecerit oportere & unum horum in solidum teneri: omnes ex æquo conventionem sustinere. Si vero aliquid etiam tale adjiciatur, servari quidem pactum: non [3] tamen mox ab initio unumquemque in solidum exigi: sed interim secundum partem qua unusquisque obligatus est: cedere autem eum & contra reliquos actionem, si & idonei sunt, & in eo loco, & si hoc ita se habere videatur: si quidem idonei [4] sint, & præsentes inveniantur, illos periclitari complere, (singulos in propria parte) quod sub alterna promissione creditum est, aut ex quo omnino obligati sunt, & non commune debitum, proprium cujuspiam fieri onus. Si vero minus idonei se habere reliqui videantur, sive omnes, sive quidam: sive in partem, sive in solidum, sive absentes forte: in illud tenere, quod accipere ab aliis non potuit. Sic enim & illis servabitur pactionis modus, & nullum sustinebit damnum actor, licet aliquid inter se illi pepigerint ignorante isto qui habet eos obligatos: & unusquisque tenebitur in id quod ab initio scripserit, artibus aut dolis, aut transactionibus prævaricari quæ constituta sunt, non sinendus. §. 1. Sin autem in iisdem commorentur utrique aut omnes locis: sancimus negotii judicem deducere illos mox, & communiter examinare negotium, communiter autem inferre sententiam. Sic enim & rei omnes obligabuntur: & substantiæ eorum qualitas examinabitur: & debitum similiter quidem secundum justitiæ, similiter autem secundum legum ordinem procedet. §. 2. Si autem non administrator sit causæ judex, sed alter aliquis, damus licentiam aut hic competenti judici interpellationem suscipienti, aut in provinciis, his denunciatis clarissimo præsidi, aut competenti judici cogere per suum officium & illos interesse liti, & partem ejus fieri: ut nullum impedimentum huic nostræ legi fiat. his omnibus incipientibus in contractibus sequentis temporis, & ab hujus legis dispositione: quod autem ante eam præteriit, positis pro his relinquimus legibus.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc sacram declarata sunt legem, tua quoque celsitudo operi effectuique contradere festinet. Dat. 15. Kal. Januar. CP. Dom. JUSTIN. PP. August. Anno 13. ARIONE V. C. CONS.

1 Hinc sumpta est Authentica, *Hoc ita, Cod. de duobus reis.* 2 Duobus simul obligatis, si non fuerit adjectum, ut in solidum teneretur, tacite intelliguntur teneri ex æquo, *l. 11. in fin. ff. eod.* 3 Qui in solidum cum alio obligatus est, correo idoneo & præsente in solidum convenirí non potest: non idoneo vel absente convenirí potest, *leg. 26. l. 28. ff. de fidejuss. l. 10. Cod. de fidejuss. §. 3. Instit. de fidejuss.* & ita abrogatur lex *47. in fin. ff. locati, l. 2. 3. §. 1. ff. de duob. reis, l. 2. 3. Cod. eod.* 4 Beneficium est epistolæ D. Adriani, quod hic extenditur ad correos principales, de quo vid. *l. ult. C. de constit. §. 26. ff. de fidejuss. §. 4. Instit. de fidejussor.* adde Paulum 1. *sit. 20. cap. unic.*

COLLATIO OCTAVA.

TIT. I.

DE [1] TEMPORE NON SOLUTÆ PECUNIÆ SUPER DOTE. [2]

NOVELLA CONSTIT. C.

Imperator Justinianus Augustus Joanni gloriossis. per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario, & patricio.

PRÆFATIO.

OMnes pecuniæ non numeratæ replicationes [3] subjectas [4] in aliquibus casibus non [5] examinatas nostræ reliquerunt leges: sed prolixitatem earum & effusionem abbreviavimus, ne sua negligentia aut calliditate forsan negotiis [6] fruantur homines, & causas præbeant aliis: non enim sub æqualitate semper probationes erunt eas exhibere volentibus: multa quoque tempus refutat. Quapropter benefacientes abbreviavimus in quibusdam casibus pecuniæ non numeratæ querelas, quas licet ex iis quæ a nobis jam sancitæ sunt, colligere. Quia enim omne [7] tempus matrimonii dabatur viris, donec matrimonium constaret, queri de non data dote: interpositio quoque major facta est etiam post mortem virorum, ut & post repudium intra [8] annum daretur querela: ideo existimavimus brevi & compendiosa lege velocem facere & pecuniæ non numeratæ super dote querelam, & liberare a probatione mulieres in talibus ex longo tempore.

CAP. I.

De [9] dote non numerata.

SI ergo annis duobus [10] solummodo habeat aliquis uxorem, aut etiam his temporibus minus, & non accipiat dotem: nihil ex taciturnitate vir lædatur: neque heredes viri, licet tacuerit ille, sed intra [11] annum alium querela moveatur. brevitas enim matrimonii ad hanc nos legislationem vocat. Si vero majus biennio tempus, minus autem decennio matrimonium protendatur: damus marito queri, & dicere non illatam sibi dotem aut in partem aut in solidum: & si hoc fecerit transmittere querelam, semel marito querente, & muliere quia dedit non probante. Si autem neque intra decennium [12] queratur, taciturnitate mariti auferimus querelam; neque ei post decennium hoc agere sinemus, nec annum dantes ulterius heredibus ejus. sitque in hoc non nostra adversus aliquos pœna, sed libertatis subjectorum diligentia. Ubi enim licet in prolixo [13] sic tempore (decennii dicimus) proponere querelam: si tacere elegerit, palam est voluisse, vel si non accepit dotem, omnino eum aut suos reddere heredes: his valentibus & si repudio solvi contingat matrimonium: in nullo discernentibus nobis, sive mulier tanquam dotem offerens conscribat, sive pater, sive alter quispiam pro ea: tempore in omni casu tali, sicuti prædiximus, extendente suos effectus, & dante vel perimente querelam. Contestationem [14] vero dicimus non in sermonibus solum: (sæpe enim indignationis, aut alterius incidens occasio, talia quædam virum præparat dicere: aut etiam ille quidem dixit nihil, testes autem redempti hoc mentiuntur) sed oportet contestationem [15] in literis esse. Si autem etiam in judicio eam aliquis forte facere voluerit, oportet omnino innotescere nulieri, aut ei qui dotem omnino offerre conscripsit. nam nihil est quod prohibeat maritum in semetipsum hoc agere, & queri, & quasi partem quidem mulieris quod agitur, ignorare: providentiam vero sui etiam ponere nullo valere modo: & quia vel ab eo querela facta est, nescire.

CAP. II.

GEneraliter [16] igitur dicendum est, intra biennium quidem matrimonio soluto sive morte, sive repudio, & ipsi marito, de non numerata pecunia licere queri & heredi ejus intra alium annum. Si vero ultra biennium usque ad decem annos matrimonium extendatur, marito damus querelam & heredi ejus intra menses tres [17]. Si vero transcurrerit decennium: tunc neque marito, neque heredibus ejus querela erit, tempore ad omnia sufficiente mulieri. Et si quidem intra ætatem [18] maritus sit, & non queratur: tantum ad in integrum restitutionem ei damus tempus, ut non transcendat duodecim annos a tempore nuptiarum. Novimus enim eos qui vehementer citius contrahunt nuptias, non [19] minus quindecim annorum ad hoc procedentes. qua de re transit quintum & vicesimum annum: & erit possibile intra vicesimum septimum annum queri de non numerata pecunia dotis: moriente quoque eo intra prædictum tempus, heredes habere annum ad querelam. §. 1. Si autem minores sint non querentis heredes, sive majoris, sive minoris: quinquennium habeant solummodo ad movendam querelam non numeratæ pecuniæ, sufficiente tempore, & non expectante exitum omnium minorum temporum: quod nos ad præsentem legem movit. muliere namque conjuncta quarto & decimo anno post vicesimum annum mortis patris, abutens minori ætate, movebat quidem contra matrem non numeratæ pecuniæ objiciens rationem post quartum & vicesimum nuptiarum annum, quod nos judicantes curavimus: & propter has circumstantias, & ætatem minorum in quinquennium in præsenti decernimus lege, illo videlicet non numeratam pecuniam objiciente, qui scriptus fuerit dotem suscepisse, & secundum sua tempora, sive perfectæ ætatis sit, sive minoris causa judicanda. Valente hac lege super iis quæ postea futuræ sunt nuptiis: super iis enim quæ constant, siquidem residuum est decennium aut non minus biennio, hoc habeat tempus in non numerata pecunia, quod ei etiam post transmissionem dabit. Si vero aut minus ei biennio reliquum est tempus, aut etiam excessit totum decennii tempus: tunc ipsis quidem biennium damus ad querelam non numeratæ pecuniæ: eorum autem heredibus, & post solutionem matrimonii intra tres menses: ut per omnia eis justitiam servemus.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc sacram declarata sunt legem, tua celsitudo effectui & fini contradere festinet. Dat. 13. Kal. Jan. CP. Dom. JUSTIN. PP. Aug. Anno 13. ARIONE V. C. CONS.

TIT. II.

DE DONATIONIBUS A CURIALIBUS [20] FACTIS, SIVE AB INTESTATO VEL TESTAMENTO, EORUM SUCCESSORIBUS.

NOVELLA CONSTIT. CI.

Imperator Justinianus Augustus Joanni gloriossis. per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario & patricio.

PRÆFATIO.

BOnæ nobis sanctionis occasionem interpellatio quorundam curialium dedit. Et hanc legem facimus non ad quosdam curiales, sed ad omnes qui nobis obediunt: dicimus autem quantum quidem ad Orientem est, & quantum Occidens sol respicit, & quantum ex utrisque lateribus est. Quoniam enim solicitudo fuit eis qui ante nos fuerunt de curialibus & de collationibus in curias, quidam autem sunt qui trahuntur ad curiam, quidam vero liberantur, illud sancimus licentiam esse curialibus non solum ejusdem civitatis curiales heredes instituere, (hoc enim hactenus licitum fuit) sed etiam quosdam liberos a curia, si voluerint instituere heredes, hoc agere sub hac videlicet conditione ut offerat modis omnibus se heres, sive heredes conditioni curiæ defuncti, id est, ex qua ille progressus est, & curialis sit particeps functionis, & hereditatem nullo impediente percipiat. Scientes enim quia hæc res erit in præsenti correctio, quoniam nunc quidem adjicitur curiæ ex istis modis in pecunia utilitas, ex futura vero legislatione, & curialis, & substantia proficiet, & (florebit curia corporibus pluribus &) substantias habebit eorum.

1 *Nov. 2. cap. 5.* 2 De non numerata dote, *Index Regina.* de dote cauta vel adscripta, non numerata, Julian *const. 95.* adde *5. C. 15.* 3 Exceptiones. 4 Quæ proponebantur & allegabantur. 5 Lege, non *inexaminatas*, id est, non inexcussas. 6 Id est, minus negotiatione fruantur homines. 7 Hoc abrogatur J. *eod. cap. 1.* 8 Hoc etiam abrogatur. J. *eod.* 9 Περὶ ἀκαταγνώστου προικὸς 23. *Eclog. ex lib. 29. tit. 3. c. 1.* §. 3. & 3. Harmenop. 5. §. 11. 10 Id est, si duobus annis durat matrimonium. 11 Si biennio tantum duravit matrimonium, exceptio non numeratæ dotis anno post finietur, *l. ult. Cod. de dot. cant.* si plus biennio, non plus tamen decennii tempore, tribus post mensibus J. Si plus decennio, maritus nunquam queri potest de dote. 12 Decennio præscribitur omnis querela dotis non numeratæ, ut sit sensus: Potest vir defuncta uxore exigere sibi promissam dotem intra decennium duntaxat. 4. Harmenop. 9. §. 7. 13 Decennium proliξum tempus. 14 Querelam non numeratæ dotis contestandam esse non nuda denunciatione, sed literis: in judicium vocata muliere, vel eo, qui pro ea dotem capit. *l. 14. §. 4. C. de non num. pecun.* Contestatio perpetuat exceptionem & transfert onus probandi in actorem. *l. 3. C. de non num.* nisi ex chirographio, in quo fit adscripta debiti causa, agatur, *l. 13. Cod. de non num.* 15 Hinc sumpta est Authentica, *Si minor. C. de temper. in integr. restitut.* & Authent. *Quod locum. C. de dote cauta & non num.* 16 Nota regulam. 17 De tribus mensibus vid. Cujac. *c. 14. de diverf. temp.* 18 Id est, initio 25. annorum. Ætas enim id hic significat, & Græci, εἰ μὴν ἐν ἡβῇ. 19 Pubertas in nuptiis contrahendis finitur anno 14. in masculis: 12. in fœminis, non affectio, sed expleto, vid. *Novell. Leon. 74.* 20 Περὶ δωλεωτῶν Græci *hoc loco.* De curialibus Julian. *const. 93.* de decurionibus, *Index ad legem Juliam majestat.*

CAP.

CAP. I.

PRopterea sancimus licentiam esse eis qui curiales sunt, dum testamenta [1] condent, uti heredibus sive curialibus ejusdem civitatis voluerint (hoc lege permittentes) sive quibusvis ex suo genere, sive extraneis: sive curiales fuerint, sive non, sive in portionem non minus novem unciarum, vel certe in integrum, dantibus se tamen curiæ & unitis ejus corpori & explentibus inculpabiliter functiones. Hoc valente circa ipsos filios & nepotes & residuos successores, non tamen secundum modum, secundum quem ante paululum constitutio promulgata circa eos, qui se curiæ offerunt, præceperat prolem eorum, qui se obtulerunt ad conditionem non trahens, sed tanquam si ab initio fuissent constituti curiales, ita & ipsi cum propria prole curiæ uniti & albo & corpori. Neque [2] enim quicquam differt, aut eum qui est curialis ejusdem civitatis scribere heredem, aut eum qui mox erit.

CAP. II.

SEd & si quis consanguineus curialis existens, vel aliter ab eadem conditione liber ad successionem curialis defuncti fuerit vocatus tanquam ejus qui non [3] scripserit testamentum, voluerit autem & ille seipsum dare curiæ, licere ipsi hoc agere, & suam voluntatem in actis indicare intra [4] menses sex: & pariter curialem cum suis successoribus atque substantia pariter, & fieri heredem, nihil omnino ex eadem substantia expetendo occasione quartæ portionis seu novem unciarum, semel eo qui successerit in hereditatem aut curiali existente, aut mox extituro, & re ac substantia rursus ad curiam veniente. Sed & si quis donaverit res propriæ facultatis, aut multas, aut omnino non minus novem [5] unciarum vel curiali ejusdem civitatis existenti, vel alii cuidam, offerens tamen se & propriam substantiam atque prolem sive quæ est, sive quæ erit, & residuam successionem curiæ, cujus est qui donationem fecit, sancimus valere [6] factam sub hac conditione largitatem. omnimodo enim nobis studii dignum est videre, ut nullo modo substantiæ curialium alienentur a curia illius civitatis cujus sunt curiales.

CAP. III.

UT autem non ad collusionem hæc fieri videantur, & quidam domini effecti hereditatum curialium aut per donationes, aut per testamentum, (secundum quod prædiximus) aut ab intestato deferantur, & propter hanc oblationem, & rebus quidem frui velint, oblationem autem suam non faciant: Sancimus si quidem per donationem, hoc quod prædictum est, dederit, non prius traditionem fieri rerum, sed hoc manere apud donatorem, donec is qui donationem accepit, inter gesta [7] confecta apud judicem provinciæ, gratis & citra omnem dationem secundum prædictum modum, datus fuerit curiæ, & mox conscriptus albo [8], tunc enim etiam res ei dari volumus. Quod si donator tradiderit res, & necdum confessione facta quæ accipientem societ curiæ, etiam sic defendi quæ donata sunt curiæ, usque ad novem uncias, in quibus omnino vocari curiam censemus. §. 1. Quod si ex testamento, aut per vocationem [9] legis, qui non est curialis, ad successionem perveniat curialis, tunc mox a morte curialis concurrere curiam, & una cum defensore civitatis, præter [10] læsionem futuram rerum defuncti, descriptionem fieri rerum [11] præsente etiam eo qui ad hæc vocatur, & res tradi curiæ sub facto signaculo [12] tam defensoris quam [13] Deo amatoris episcopi, & dum prædicta actio gestorum facta fuerit apud judicem provinciæ, & data fuerit curiæ, secundum quod frequenter dictum est, cum substantia, & prole quæ est & quæ fuerit, tunc eum, & res percipere & esse eum dominum secundum quod & prior ille curialis fuit, nihil ab eo differre visus. His gestis sine dubio apud judicem provinciæ habitis præter ome lucrum & dispendium. Neque enim ad illusionem vel ad dispendium curiæ, sed ad utilitatem hanc proferimus sanctionem, ut in perpetuum valeat, augens & corporibus & pecuniis curialium facultates, atque substantias. Si vero is qui ab intestato vocatur curialis heres, non tamen existens & iple curialis, noluerit adire & se dare curiæ, curia quidem teneat novem uncias, tantummodo autem ipse dominus efficietur trium unciarum, quas ei dat & anterior lex vel si non fuerit curialis. Quod si plures fuerint ejusdem gradus qui vocantur ad curialis hereditatem, & quidam dederint se, quidam recusaverint, novem quidem uncias accipere eum vel eos qui se dederint curiæ, tres autem uncias residuos, qui ex lege vocantur, accipere heredes. Studium enim nobis est omnimodo novem uncias ad curiales ejusdem civitatis pervenire.

CAP. IV.

SIn autem defunctus fuerit quidam superstite filia, si nupta [14] quidem fuerit curiali ejusdem civitatis, dubium non est, quia præter calumniam habebit paternas res, aut in integro, aut omnimodo novem uncias, si forte ad alium quendam pater voluerit tres uncias pervenire: & si non ab initio existenti curiali nupta fuerit, accesserit autem quidam ad ejus nuptias, volens eam ad hoc accipere, ut sit curialis & dare se curiæ, & stabiles ei nuptiæ fuerint: etiam sic habere novem uncias sine calumnia, occasione bonæ circa curiam voluntatis: & qui curialis offertur rebus & gubernabit eas, propter quod & omnimodo mulieri dari eas volumus. Quod si plures fuerint filiæ, & quædam ex his nuptæ fuerint curialibus aut existentibus aut per oblationem factis, novem unciæ quidem inter eas dividendæ sunt: ad residuas autem tres unciæ quidem venient. illi autem qui uxores eas acceperint, usuri sunt rebus ipsis ad curiales causas, licet in dominio sint uxoris. propterea enim eis dedimus res patris, ut exinde conjuges earum impleant curiæ functiones. Quod si contigerit deficere eam quæ nupta fuerat illi, qui se curiæ tradidit, si quidem filios masculos de eo habuerit, apud filios erunt res, & ipsi erunt in curia, & nulla tergiversatione res indigebit §. 1. Quod si fœminæ fuerint quæ natæ sunt, & si ipsæ quibusdam nuptæ fuerint, aut curialibus ejusdem civitatis, aut qui se ipsos dederint curiæ ejusdem civitatis, similiter & ipsæ eas habebunt sine ulla molestia, subjectas curiæ functionibus per proprios viros. Quod si non nuptæ fuerint, curialibus, aut qui sunt aut fuerint, tunc secundum datam olim divisionem, nuptæ quidem curialibus novem uncias habebunt, propter quas functiones curiæ compleantur, residuis autem sufficient [15] tres unciæ. Quod si neque masculi neque fœminæ eis erunt, quousque vir superest, habeat earum usum, explens in eis curiæ functiones, & si quidem ad secundas venerit nuptias & filiorum fuerit effectus pater masculorum seu fœminarum, & has conjunxerit curialibus, rursus similiter curiæ servabuntur corpori: quod si mortuus fuerit aut ad secundas nuptias non venerit, aut filias non procreans, eas non sociaverit curialibus vel qui sunt vel qui fuerint, tunc recto ordine curia has res accipiet, neque enim unquam hanc partem curialium copiarum & functionum alienari concedimus: vel si ad plurimos redactum fuerit genus successionis, quatenus per omnes, hac linea descendentes, sive per masculos liberos curialium, sive per generos dantes se curiis, novem unciæ curiæ salvæ sint. Quam legem valere volumus in omni deinceps tempore, & in causis adhuc etiam nunc pendentibus, & quæ consecutæ non sunt judiciali sententia aut amicabili interventu absolutionem.

EPILOGUS.

† Quæ igitur visa nobis sunt, & hac sacra lege declarata, tua excellentia custodire festinet, maxime omnium utilitatis publicæ providentiam omnem faciens. Dat. Kalend. Aprilis, CP. DN. JUSTIN. PP. Aug. ARIONE V. C. CONS.

TIT. III.

DE [16] MODERATORE ARABIÆ. [17]

NOVELLA CONSTIT. CII.

Imperator Justinianus Augustus Joanni gloriossis. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario, & patricio.

PRÆFATIO.

CUm plerosque alios provinciarum magistratus ad meliorem jam formam traduximus, qui humiles abjectique prius existentes, neque ulli rei convenienter agendæ idonei, postquam in ampliorem constituimus ordinem, & valentiores per omnia facti sunt, & ita rerum administrationem capessere cœperunt, ut universa in melius commutarentur: tum vero a nobis etiam proconsules & prætores, & moderatores, & veterum horum nominum amplitudo inventa est, auctæque ipsis annonæ, & summa [18] potestas data, & ante omnia interdictum illis fuit, ne perniciem inferant subditis, & multis ad ipsos diripiendos utantur manibus, juramentis quoque rem munivimus omnium horrendissimis [19]: neque aliter eis officia tradimus, quam præstitis juramentis, ita codicillis magistratus dignisunt habiti. Convertimus igitur & ad Arabum regionem oculos, & requisita causa, quamobrem & publicum laboret inopia, quamquam regio florentissima [20] sit, & tam magnus nos interpellantium numerus iis locis excedat, & omnes lamententur, alii furta & rapinas, alii injurias, alii alia damna in querelam deferentes: occasionem & causam hujus mali ex imbecillitate & impotentia eorum qui magistratum ibi gerunt, provenire deprehendimus. Erat enim ita tenui potestate præditus is qui civili magistratu defungebatur, ut [21] ei qui præesset armis, servili propemodum more manciparetur, & in illius arbitrio hujus salus esset posita, aut ut ne esset quidem omnino hic magistratus. Inde adeo & longum tempus est, ex quo is desierit, & militaris ea quæ civilem magistratum concernunt, peragat. *Cum tamen neque sibi, neque ipsi per omnia sufficiat. In hoc enim est, non ut utilitatem aliquam subditis auferat, sed ut utrinque lucrum capiat.*

CAP. I.

HÆc nos ad suscipiendum præsens consilium excitarunt: & præsenti utentes lege, magistratum ad pulchriorem formam transponimus, benigneque & ipsi Moderatoris appellationem largimur, (id quod etiam in Ponto fecimus [22]) & spectabilium magistratuum jus concedimus, ut in nullo sit Duciano [23] inferior [24]. Sed & publicis [25] exactionibus cum summa vehementia adhærescito, adhærescito etiam privatorum utilitati, neque committito, ut vel spectabilis dux, vel tribunus, vel aliqua potentiorum domuum, vel etiam sacrum patrimonium, vel sacræ nostræ res privatæ, vel ipsa sacra nostra domus, qualecunque subditis nostris damnum irroget: neque facile succumbito, neque formidinem [26] contrahito: sed viriliter subditis præito, & ante omnia Deo pariter ac nobis, & legi puras conservato manus. si quidem iisdem juramentis [27] & hunc submitti volumus, quibus & cæteros magistratus submisimus. Deinde cum codicillis percipito etiam Imperialia mandata: quæ tam ante nos legumlatores, quam vetus illa reipublicæ forma novit, & nos cum pene obsolevissent, denuo reparavimus, & in rempublicam reduximus: ut ea semper adhibeat veluti in colloquium, & justiones nostras custodiat. Nam si

Regina. adde *Novell. 89. cap. 3. & 4.* 1 Curialis moriens domum debet Curiæ, vel suis liberis curialibus, vel ultro se dantibus curiæ, qua de re dictum est *Novell. 89. cap. 4.* 2 Nihil intereſt utrum aliquis curiali suæ civitatis propriam substantiam det, an eiusdem civitatis curiali futuro, Jul. *num. 253.* 3 Curiali intestato mortuo, is ei cognatus succedit, qui muneribus curiæ se obtulerit. 4 Vid. Jul. *const. 93. cap. 353. in fin.* 5 Jul. *ibid. in pr.* 6 Nihil enim intereſt, ut antea diximus, curiali suæ civitatis aliquis propriam substantiam dederit, an ejusdem civitatis curiali futuro, Jul. *ibid.* 7 Donatio a curiali facta non curiali requirit solemnitatem scripturæ, Jul. *hic num. 354.* 8 Albo, τῷ λευκώματι. *Scrimg.* 9 Id est, ab intestato, vocantur enim hujusmodi heredes a lege, non a testatore, Jul. *hic num. 355.* 10 Inventarium sine fraude fieri oportet. 11 Id est, inventarium bonorum confinetur. 12 Fiscus, quibus ejus interest, rebus defunctæ, facto bonorum ejus inventario, signaculum potest imponere 13 Signa, id est, sigilla sua Episcopi, vel olim, Justiniani tempore habuerunt, fidemque rei gestæ fecerunt. 14 Vid. Julian. *hic num. 356.* 15 Legitimam liberorum statuto minui posse, hinc colligas, qua de re memini me alias dixisse. Et breviter, quantitas legitimæ augeri vel minui potest, tolli non potest, nisi certis parentum criminibus, *l. 5. C. ad legem Juliam majestat.*

16 6. *Eclog.* 15. de officio moderatoris Arabiæ, Julian. *const. 95.* 17 Quam Trajanus obtemperare Regibus Romanis compulit, provinciæ nomine imposito, rectorisque attributo. Ammian. 14. 18 Καὶ ἐξουσίαν δίδοτον πάσαν. 19 Φοβερωτάτοις. 20 Arabiæ locus, vid. Ammian. *lib. 14.* 21 Civiles magistratus regionum non ita sunt negligendi, ut eorum dignitas præ militaribus vilescat, & sint militarium veluti servi. 22 *S. de moderatore Helenopontii. Novell. 28.* 23 Id est, a duci militari, Jul. *hic.* 24 Ducianus dignitas magistratus civilis Arabiæ. 25 Objecta moderatoris Arabiæ. 26 Julianus ita re ert, si justitiam secum habeat, non timeat neque ducem, neque *Phylarchum*, id est, Saracenorum ducem, neque potentium domus, &c. *hac ille.* Phylarchi ergo, Justiniano teste, Saracenorum duces seu optionum. Procopius 1. *de bello Persico*, βδ. ϑ ἀλλ Ῥωμαίων χρηματιστὰς ἔχων ἐξωικίσας καλουμένης Σαρακηνῶν Φυλάρχου υἱεπιτάξας ἡγεμόνα οἱ Φύλαρχοι καλοῦνται, & post, καὶ ἀστὴν βασιλεὺς Φύλαρχον τῶν ἐν Παλμύρᾳ Σαρακηνῶν κατεστήσατο. Theodorus Anagnostes 2. Ἀλαμουνδάρα τὸ Φύλαρχον Σαρακηνῶν. vid. Cujac. *ad d. l. 7. Cod. de exact. tribut.* Sextus Rufus Phylarchi Saracenorum in Osroëna conflicto esse superati. Jornandus, in Osroëne, Saracenorum Phylarchi devicti Romanis se dediderunt. *Idem ad Novell. 22.* adde & illud ex Ammiano 24. Malechus Podosaces nomine, Phylarchus Saracenorum Assanitarum, famosi nominis latro. De Phylarchis Arabiæ & Emesenorum dixi 15. *Epistolarum familiarium Ciceronis* 1. adde Strabonem 16.

27 *Nov. 8. tit. 3.*

illas

illas sane secutus fuerit, non est causa, quamobrem non omnia illi præclare & ex animi sententia occurrant, & legum beneficio ad summam ipse in rebus gerendis facilitatem & justam facultatem perveniat.

CAP. II.

PRincipio igitur (ut diximus) studio sit illi publicorum tributorum exactio, devotis quidem humano paternoque se affectu exhibens, indevotis vero vehementem & severum. Deinde curam geret etiam reipublicæ, & ut recte in ea atque ordine omnia fiant, neve tumultibus & ne seditionibus deditis sint vel Bostreni [1], vel alii, & quæ a vetustate permissa sunt ad delectationem, ea convertant in furorem & cædes. Habebit item secundum mandata nostra dicto suo audientes milites (siquidem & hoc inde licebit desumere) neque ullam omnino rem negliget quæ commoditatem aliquam in se habeat. Quemadmodum enim in Ponto [2] cum Moderatore egimus, ita & ipsum per eadem ejus magistratus vestigia ingredi facimus. Eritque & ipse spectabilis, & consimiliter cum alia multa, tum etiam ea quæ appellationes concernunt, administrabit. Sed neque ad modum prioris duntaxat solatii resistemus. Volumus enim, ut ipse quidem per causam annonarum & reliqui solatii percipiat quindecim auri libras, adsessor vero ejus magistratus duas libras, & cohors ejus novem auri libras habeat. Et quamquam (ut diximus) ex Imperialibus mandatis jam etiam militibus præest: erit tamen nobis curæ, ut nonnullos illic stativa agentes militares numeros & ei subdamus qui in hos magistratum gerit, ut illi soli obediant, ejusque formulis ac præscriptis cedant & obtemperent. Non igitur communionem omnino habebit aliquam spectabilis Dux, neque cum militibus quos expresse huic assignabimus, neque cum pagano aliquo, neque cum illorum litibus, si quas inter se habent: neque si paganorum aliquis in jus producatur. Nullum denique habeat cum paganicis causis commercium: quandoquidem magnum [3] in medio intervallum est inter civilem & militarem administrationem: discernuntorque ea inter se, quemadmodum patres nostri in republica ista ordinarunt & instituerunt, scituro spectabili duce, quod si rebus se civilibus immittere ausit, neque militaria retinebit, sed & illis spoliatus privatum aget, & hujus magistratus imperio subditus erit.

CAP. III.

ATque hæc nobis item de magistratu regionis Arabicæ sancita sunto. Persuasum enim habemus voluntate Dei, quod ea res ad melius profectura sit. Ex quo enim neque pecuniis pepercimus, & annonas illi auximus, inde adeo certo scimus, quod & is qui hunc magistratum gerit, talem se circa vere publicorum tributorum exactiones præbere studebit, ut non damnum exinde, sed justum lucrum fisco adducat. Illud sane fieri obtinereque volumus, ut spectabilis dux inde annonas suas percipiat, unde provinciæ præses jusserit, cum manifestarium sit, non cum tanta eum ignavia his rebus admoturum animum, ut suas ipse annonas exigere nequeat: sciens, quod si quid hæc contra fecerit, quindecim librarum auri pœna multabitur. Dat. 6. Kal. Jun. CP. DN. BELIS. V.C. CONS. [4]

TIT. IV.

DE PROCONSULE PALÆSTINÆ. [5]

NOVELLA CONSTIT. CIII.

Scripta Joanni gloriessim. sacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario, & patricio.

PRÆFATIO.

JAm quidem & alios gentium præsidatus majores reddidimus, qui prius humiles pariter erant, & ad aliquid fortiter agendum impotentes: & tam inter spectabiles ipsos constituimus, quam etiam annonas ipsis, adsessoribusque & cohorti auximus: & inter alia omnia, quæ benigne illis elargiti sumus, ut item de appellationibus cognoscerent, præbuimus, aliosque honore proconsulum exornavimus, alios (ut appellant) comitum alios prætorum, alios denique moderatorum: & semper præclaro aliquo adinveniendo, novum veluti florem nostræ addimus reipublicæ. Venit autem nobis in mentem & metropolis [6] Cæsarea, quæ in prima Palæstina principatum tenet, quam præ cæteris majore etiam honore perfrui oportebat: propterea quod & quondam proconsul ipsam tenuit, & præfectus illi talis magistratus fuit, licet postea ab ampliore dignitate ad minorem transierit: nimirum cum una prius tota Palæstina esset, ea deinde in tres divisa partes, & neque proconsulatum retinente, sed ad magistratum hunc (ut appellant) ordinarium delata. Quanquam sane & vetusta urbs sit, & semper ampli nominis fuerit, tamen cum Strato 7 primus eam in formam urbis redegit, qui mutatis sedibus excedens Græcia hujus conditor extitit: quam quum divæ memoriæ Vespasianus [8] celebratissimus ille Imperator, qui piæ memoriæ Titi pater fuit, quod illi ad summam gloriam vel solum potuit sufficere, ipsorum Cæsarum appellatione eam nominavit, cum antea *Strabonis* [9] *turris* vocaretur: hoc illi honore impenso, eo quod in ea post [10] Judaicas victorias inter Imperatores adscriptus esset. §. 1. Cernimus autem, quod & magnæ admirandæque regionis imperium habeat ea provincia, & quam maximam reipublicæ nostræ gratiam & sensum exhibeat, tam tributorum magnitudine, quam devotionis exuperantia, præbeatque ampli [11] nominis civitates, ac bonos cives enutriat, & omni doctrinarum genere refertos, neque non inter sacerdotes celebres, & (quod omnium maximum est) quia universi conditor Dominus noster Jesus Christus [12], verbum illud Dei, & totius humani generis salus, in ea [13] comparuerit, dignatusque sit assumere nostra.

CAP. I.

HAnc igitur quomodo non honore afficiemus, & provehamus ad formam proconsularem, concedamusque illi qui in ea defungitur magistratu, ut proconsul pariter sit & vocetur: id quod facimus per hanc pragmaticam formam. Appellari autem eam volumus & Cæsariensium [14] privilegium. Et qui eum magistratum gerit, proconsulem [15] efficimus: præbemusque ei, ut inter spectabiles adscribatur: & omnia habeat quæ ejusmodi magistratus sunt propria: audiat etiam provocatione suspensas lites usque ad decem auri libras, quæ ex utraque ad ipsum Palæstina devolvuntur: valeatque omnino talis existere, ut jussiones nostras præclarius & majoribus cum viribus queat ad effectum deducere. Uretur autem & veneranda illa atque antiqua Veneta [16], (de purpurea plane stola loquimur) in [17] sacris eam mensium festis induens, venustumque se præbeto tanto redimitus honore, & multis imperato militibus ac tantis: & quicquid denique vel publico, vel nostris utile est subjectis, facito. Cæterum per occasionem annonarum [18] præbemus illi viginti [19] libras auri, quas tam inter se, quam adsessorem suum & obtemperantem sibi cohortem dividat, quo ipse voluerit modo, per suggestionem nos de iis certiores reddens, ut sacra pragmatica forma eam divisionem corroboremus. Neque enim sustinuerimus videre, aut ut ipse adsessorque ejus sub pristina tenuitate annonas percipiant, aut ut cohortem ejus, quanquam circa tot tributorum illationes laborantem periclitantemque, omni destitutam auxilio non sublevemus, quo majore cum benevolentia, & illi appareant, & publica tributa exigant, & injustis rapinis abstineant.

CAP. II.

INsuper nullam omnino cum civilibus causis publicorumque tributorum profligationibus communionem habebit pro tempore spectabilis eorum locorum Dux: sed ipse omnes [20] publicas privatasque causas (prout dictum est) disceptabit, & maxime omnium providebit, ut publica tributa sine retardatione detrimentoque inferantur, & puris ipse utatur manibus. Qua quidem re diligenter observata, cum & spectabilis vir Stephanus, qui nunc primus in ea versatur, magnam laudem consecutus sit: prorsus in eam opinionem venimus, sumpta [21] videlicet ex antecedentibus conjectura, quod rursus hoc faciet. Maxime omnium vero curam geret, ut quæque suo ordine fiant in civitatibus, neque popularis aliquis tumultus excitetur in urbibus. Si quidem & hoc ejus, cum in magistratu esset, proprium fuit: qui cum provinciam tum ex aliis occasionibus, tum vero maxime ex diversitate [22] religionum seditionibus laborantem suscepisset: evidenter pacatam eam reddidit, & omni motu ac turba liberavit: quod sane nunc illi quoque, ut faciat, injungimus. Et si quando res ita ferat, ut etiam in secundam [23] Palæstinam excurrat, & ibi tumultus sedet, neque committat ut incommode aliquid in illa geratur, & præsertim in illa: quandoquidem & multos illic tumultus existere cernimus, neque leves horum eventus.

CAP. III.

QUod si etiam militibus indigeat, qui in provincia stationes habent: adjungimus & hos illi ex quo militarium numerorum strenuitatem compertam habemus, tam in tuenda dignitate urbium, quam conservanda moderatione in iis qui ruri habitant, & exigendis tributis publicis. Sacra pragmatica forma, quæ ad eam illi rem prius data est, nunc quoque rata manente, quæ non vult, ut vel spectabilis dux, vel gloriosissimus magister militum licentiam habeat, militum præsidia quæ apud illum constituta sunt, ab illo abstrahendi, ne quis exinde in civitatibus oriatur motus ac turba: id quod nunquam eventurum est, si ille & civilem magistratum gubernet, & inter publicorum tributorum collatores rectæ disciplinæ providentiam accommodet, tam in auxilium paratos habens milites, quam si quid indecore vel ab ipsis, vel ab aliis per ipsos geratur, corripiens. §. 1. Eruntque omnino inter se distincti [24] officiis spectabilis locorum Dux, & is qui proconsularem gerit magistratum. Nam ille quidem militibus, & limitaneis, ac fœderatis, & quicquid omnino in provincia armatæ militiæ adscriptum est, præibit, exceptis his militibus qui proconsuli deputati sunt: hic vero tam pro civilibus personis, quam rebus, & præsidiis militum illi adhærentibus providentiam adhibebit & custodiam. Certe publicorum [25] tributorum nomine, ut per causam motæ in populo seditionis nemo prorsus a spectabilis proconsulis jurisdictione eximetur. Sed omnibus imperabit, omnibus præcipiet, neque quisquam ejus resistet formulis ac dispositionibus, aut ullum habebit prætextum vel defraudandi publicum, vel civibus inferendæ injuriæ, publicæ seditionis auctor factus: aut etiam uretur vel cinguli, vel dignitatis, vel sacerdotii, vel cujuslibet alterius cauſæ prærogativa: sed eo solo seipsum noxa liberabit & supplicio, si nullam noxam contrahat. §. 2. Hæc igitur (ut diximus) & huic magistratui concedimus, & conservare perpetuo per hanc sacram pragmaticam legem volumus. Sed & ut excellentia tua perpetuo ipsam conservet, & eo modo particularibus thronorum tuorum dispositionibus ac formulis adscribat, sancimus: neque non ut omnes Palæstini, qui in sequenti futuri sunt tempore, cognoscant, quod denuo proconsulare ipsis jus restitutum sit, summusque in prima [26] Palæstina magistratus proconsul rursum fit, ut olim qui liberatus pristino fastu, nunc in honore quam qui civitati debeatur, futurus sit majore, & priore liberata supercilio, in majore nunc honore erit, nempe civitati debito.

1 Bostra civitas Arabiæ, de qua alias dixi. Ammianus 14. præsipuas Arabiæ civitates facit Bostram, Gezazam atque Philadelphiam. 2 Seu Helespontum. 3 Magnum intervallum est inter civilem & militarem administrationem. 4 Id est, anno 535.

5 6. *Eclog.* 16. *de off. proconf.* Palæstinæ, Jul. *const.* 98. quam Pompejus Judæis domitis & Hierosolymis captis in provinciæ speciem rectori delata jurisdictione firmavit. Ammian. 14. Ea olim terra Chanaan Scripturis cognita. 6 Cæsarea, metropolis Palæstinæ, primæ, colonia Vespasiani, *l. 1. §. 6. l. ult. §. 7. ff. de censibus.* a qua Cæsariensis advocatio, *l. ult. Cod. de pact.* id est Palatina. *l. pen. Cod. de fideiuss.* Cæsariensis quondam fupra 20000. Judæorum apud fe habitantium una die trucidarunt. 2. Joseph. 19. 7 Strato fundator Cæsareæ. 8 Id tamen communiter ab omnibus historicis tribuitur Herodi, regi Judææ, qui in honorem Augusti Cæsaream nuncupavit, Ammian. *lib.* 14. Joseph. 19. *Antiquit.* 7, 9 Turris Stratonis, Cæsarea: *Ptolemaus.* Hieronymus refert, vocatam etiam fuisse Acaron. 10 Vid. Ammianum, *d. loco.* 11 Et quasi ad perpendiculum æmulas, ita ut nulla alii cedat. Præter Cæsaream autem enumerat Eleutheropolim, Nicopolim, Ascalonem, Gazam, Ammianus *d. loco.* 12 Ejusque Apostoli, & quidem Cæsareæ fit mentio *Act.* 8. 10. 11. 18. 21. 13 Id est, Palæstina, quæ terra Chanaan, *ut dixi*, cum occuparunt Israelitæ, annis 1399. ante Christi adventum: ante Titi tempora 1469. In eadem Palæstina fuit Judæa, cujus metropolis Hierosolymæ: fuerunt etiam Galilæa, Samaria, præsentia Christi illustratæ. 14 Cæsariensium privilegium, id est, forma pragmatica ad Cæsariensis. 15 Proconsul Palæstinæ. 16 Αερκῶν τυραννικῶν. *Scr.* indutatur tebennum. Jul. *hic* τεβεννωτὸς (cujus fit etiam mentio a Plutarcho) est trabea Romuli, Pollaci & Themistio τῆβωνος, cujus inventor Timenus Arcas. Stola proconsularis. *Novell.* 31. Eunapius τὸν περὶ πορφυρᾶν ἱδρῶτα τῆβωνος Ῥωμαῖοι καλοῦσι. Dionysius Halicarnass. 6. τεβέννας τὰς καλουμένας τρεῖς. Hoyb. 10. λαμπρὸν τεβέννιον, λαμπρὸν ἱδρῶτα. v. Cujacius. Eu τῶν ἱερομνημόνων. Hesychio, ἱερομνήμων est ἱερεὺς ἐνιαυτοῦ κύκλου: Eidem ἱερὰ, ἑορτὴ κατὰ μῆνα. Glossis ἱερομνήμη facti mensis. 18 Annonæ proconsularis Palæstinæ. 19 Id est, 712. aureos. 20 Objecta Proconsulis Palæstinæ. 21 Præsumitur diligens in aliqua re futurus, qui semel in ea diligens fuerit.

22 Religones seditionibus obnoxiæ propter diversitatem religionum, adde *Nov.* 17. *c.* 11. *Edictum* 2. *Justin.* 1. 23 *Nov.* 8. *c.* 15. §. 7. 24 Dux militum Palæstinæ distinctus a proconsule Palæstinæ. 25 Duo solent præcipua commendari præsidibus provinciarum, quies regionis *cap.* 2. & tributorum exactio, *ut hic.* 26 Palæstinæ duæ, Prima & secunda, *Nov.* 8. *c.* 14. 4. 6. & 7. quin & tertia *d. Nov.* 8. *c.* 14. & 38.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc sacram declarantur legem, ea studeto excellentia tua effectui & fini tradere.

Novella 104. (*quæ Latina fuit*) *epitome partim ex Haloandro, partim ex Juliano.*

TIT. V.

DE PRÆTORE [1] SICILIÆ.

NOVELLA CONSTIT. CIV.

HAbeto Sicilia Prætorem, qui & res civiles tractet, & curam gerat militaris impensæ. §. 2. Publica tributa Siciliæ non pertinent ad solicitudinem prætoris, sed censentur sub comite patrimonii Italiæ [2].

§. 3. Provocationes a Sicilia in hanc civitatem venientes apud excellentissimum Quæstorem ventilentur. Et si defensorum civitatis vel patrum [3] creandorum decreta opus sit celebrari, apud eundem illustrissimum virum celebrentur.

TIT. VI.

DE CONSULIBUS. [4]

NOVELLA CONSTIT. CV.

Idem Augustus Strategio Comiti sacrarum largitionum, exconsuli & patricio.

PRÆFATIO.

CONsulatus nomen [5] & causa [6] priscis [7] quidem Romanis adversus [8] hostium adinventum est utilitatem: & in decretis quæ eis ordinatio communis dabat reipublicæ figura, fortiebantur repente provincias, in quibus Romani bellum habebant: & secundum has fortiebantur fasces [9], sequens [10] vero tempus in [11] imperatorum piissimorum transponens bellandi & [12] pacificandi potestatem, ad largitatem solam causam consulibus mutavit, & hanc temperatam & ordinatam, mensuramque non excedentem, paulatim vero quidam ita sumptuose causam aggressi sunt, ut suam quidem ederent magnanimitatem, non tamen cogitarent, quia exemplum aliud non haberent, non enim ad plurimos venit substantiæ magnitudo, transcendens etiam magnificentiam animæ, non mensura rei, sed propria magnitudine proveniens. Quia igitur videmus periclitari consulum nomen, quod ex temporibus ita prolixis, & ad millesimum prope annum veniens, cum Romanorum republica pullulavit: properera credimus oportere causam comprehendere, & immensitatem ejus recidentes, ad beneplacitas consulares statuere expensas, quatenus continua sit Romanis, omnibus autem bonis viris existat accessibilis quoscunque hujusmodi nos dignos esse honore decreverimus. Cuncta siquidem perscrutantes, perspeximus quantum esse conveniat quod datur. A Marciano [13] itaque imperatore eximio scripta lex est, quæ volebat *non spargere pecunias consules*, & ipsa ejus constitutionum prima fuit. Igitur & post prædictam constitutionem, quoniam invenimus quod quidam hanc sequentes, nihil spargere populo passi sunt, alii autem & ultra legem agere hæc petentes: & promerentes quæ petiverunt, deinde ad sui animi respicientes mensuram, circa aspersionem largitatem ultra terminum celebraverunt: quidam vero medium [14] bene eligentes mediocribus pro plurimis contenti fuerunt: quoniam etiam nos præcedentibus, quod [15] medium est, optimum visum est esse, tanquam ex utroque summis periclitantibus, mox ad immensitatem procedere: propterea existimavimus & nos de hoc definire quod decet: ut nihil nec immensum nec inordinatum sit, neque nostrorum temporum indignum.

CAP. I.

De septem processionibus consulum.

QUantumcunque ergo competens est dari ab eo qui a [16] nobis eligitur per annum [17] consul, occasione sportularum omnium, & distributionum & expensarum: hæc omnia competenti scriptione huic nostræ interponi sacræ jussimus legi. In legis enim hoc ponimus schemate, ut transcendenti etiam pœna quædam inferatur competens. Processiones [18] autem eorum esse volumus septem. Si enim ad hoc adinventum est, ut spectacula ad [19] animi voluptatem [20] agantur populo, hæc autem a nobis determinantur in Circensibus [21], & bestiarum [22] spectaculis, & thymeles [23] delectatione, nullo horum noster privabitur populus: sed erit quidem ei processus primus [24] quo suscipiet consulatum, & hujus possidebit codicillos, Kalendis [25] Januariis. Post [26] illum vero secundum aget spectaculum certantium equorum, (quam mappam [27] vocant.) Et tertium [28] qui theatroquingenium [29] dicitur, non bis, sed semel exhibendum, & post [30] illud, quod dicitur totius [31] diei, multa delectatione implebit populum: hoc quod vocatur Græce παγκράτιον [32], & cum bestiis pugnantes homines, & vincentes audacia, insuper & interemptæ bestiæ. Quintum [33] quoque faciet processum, qui ad theatrum ducit, quem [34] adorna vocant: ubi in scena ridiculorum [35] est locus, tragœdis & thymelicis choris, & spectaculis universis, & audibilibus [36] apertum est theatrum. Rursus [37] quidem spectaculum equorum certantium edit, seu quæ vocatur [38] hippomachia [39]. Sextum agens hunc conventum. Ex [40] hoc deponit annalem hunc honorem, in depositione agens solemnem editionem [41]. Et ita septem nocium [42] & processuum complebitur cursus: nullam specierum antiquitus statutarum derelinquens. Unam si quidem aliam adinvenire mappam [43], duoque continuare, quæ vocantur theatroquinegia [44], & non priorum horum contentos esse: palam est, quia nihil novi ultra id quod prius agitur, habet. Sufficere itaque rite causa putabitur: & singulæ dantur clare & non in tantum, ut jam populo etiam odibile sit: in iis enim quæ raro [45] fiunt, miraculum est. Hæc itaque de consularibus a nobis scripta & determinata sunt expensis.

CAP. II.

De uxore & matre Consulis.

SI autem etiam uxorem consul habeat: definita est a nobis & circa illam expensarum mensura [46], decet enim frui [47] eas & conjugis claritate. Si vero non copulatus est uxori, his faris est, nisi mater ejus constat jam consulatu digna & prius honorata, & velit eam una frui secum schemate, & hoc in sola [48] matre præbemus: alia vero non decorabitur mulier penitus, præter conjugem [49] & matrem, & istæ quidem omnibus modis: quoniam uxores [50] consecrant radiis maritorum, hoc lege dante: matres vero, si consul hoc voluerit, nam neque filia, neque soror forte neque uxor filii: & multo magis si nec pertinens ad genus sit: hoc enim pure illicitum existebat. §. 1. Quid autem oporteat spargere [51] in septem his processionibus populo consulem, melius nos designavimus: quam sicut Marciani divæ memoriæ constitutio [52] dicit. Illa quidem abnegavit omnino munificentiam: nos autem corrigimus eam causam, voluntate ejus, qui consulatus habet honorem, disponentes, sive enim nihil voluerit, spargere, non cogimus: sive rursus venire ad hoc voluerit, & ex argento muneribus honorare populum, nec hoc interdicimus, non tamen aurum spargere sinimus, non minoris alicujus, non majoris omnino, non medii characteris aut ponderis: sed argentum, sicut prædiximus. Soli [53] enim

1 6. *Eclog.* 12. De officio quæstoris, Inl. *constit.* 97. adde *Nov.* 75. §. *ult. cod.* quæ est de appellationibus Siciliæ. 2 Comes patrimonii Italiæ, Comes largitionum Italicarum.

3 Iul. *hic.* vid. *Novell.* 75. alii legunt, primorum.

4 2. *Cod.* 3. Iul. *const.* 98. adde *Nov. Leon.* 94. Goth. Intellectum hujus Novell. vid. apud Joann. Zeng. *de Except part.* 2. *c.* 1. *n.* 166. Anf. 5 Consul a consulendo dictus. Hinc Iliad, Consul fiat, qui recte consulet. 6 Ob tyrannidem Tarquinii.

7 Sed tamen post reges exactos, *l.* 2. §. *exactis* 16. *ff. de orig. jur.* Liv. 1. & *alii.* ut mirum mihi videatur, quod Harm. *lib.* 1. *tit.* 1. §. 1. scripserit, Romæ initio non fuisse dominationem regiam, sed per consules, eosque binos & annuos Rempubl. fuisse administratam, verum, ut opinor, satis illo loco ostendi, Harmenopulum in historia lapsum vel corruptum esse. 8 Id ita ne intelligas, quasi consules tantum electi fuerint, cum bellum futurum esset: ne rursus intelligas, bella solis a consulibus gesta. Nam eo fine plerunque dictator creabatur, *l.* 2. §. 18. *ff. de origine jur.* §. 6. *Inst. de jure naturali l.* 1. §. 7. *C. de veteri jure.* sed quod consularis poterat adversus tyrannidem Regum sit inventa, & videtur Justinianus *hostium* vocabulo, Reges tyrannos intelligere. De consulum potestate, vid. *l.* 2. §. 16. *ff. de origine juris.* Cic. 3. *de legib.* 9 Duodecim. Halicarn. 4. 10 Lex Regia, quæ principi & in principem jus omne suum transtulit, *l.* 1. *ff. de constit. princip.* 11 *Nov.* 47. *l.* 2. §. 11. *ff. de orig. jur.* Ammian. *lib.* 14. 12 Princeps jus belli & pacis habet. 13 *l.* 1. *C. de consulibus & non spargend. ab his pecun.* 14 Virtus est, medium vitiorum utrinque eductum Horat. 1. *Epist.* 18. 15 Εν μεσότητι τὸ ἄριστον, In mediocritate optimum consistit.

16 Consules olim eligebantur a populo, postea ab Imperatore. Ausonius *in Gratiarum actione.* Nunc autem, quod diei hujus proprium, de consulatu gratias agam, & post, obnoxiam tibi uni sinas fieri mei consulatus dignitatem, quem omnibus prætulisti. Quod quidem & ipse sibi invenit gradus, cum clarissimo viro collega meo honore conjunctus, nuncupatione præsatus Consul ego, imperator Augustus, munere tuo, non palius septa, neque campum, non suffragia, non puncta, non locutus: qui non prensaverim manus, nec consulsenium (sic enim lege, non *cum salutantium*) contusus occursu, aut sua amicis nomina non reddiderim, aut aliena non impoluerim: qui tribus non circumivi, centurias non advocavi, vocatis classibus non intremui, nihil cum sequestre deposui, cum dibitore nihil pepigi. Romanus populus, Martius campus, equester ordo, rostra, ovilia, Senatus, Curia, unus mihi omnis Gratianus, & post, Fecisti autem & fasces alios quoque consules, pissime Gratiane, sed non & causa pari.

17 Consulatus erat olim magistratus annuus, qui, ni decem interfuisset anni, nemini deferebatur: Cicero 1. *de legib.* Eundem magistratum, ni interfuerint decem anni, ne quis capito, civitatem annali lege fervato. Lege annali intelligit, ut opinor, imperium annuum. Hæc postea vel negestitate, vel ambitione, vel vi desueta, id enim ostendunt sex Valerii Corvini, septem Casi Marii, tredecim Augusti, septemdecim Domitiani consulatus, v. Auson. *in gratiar. action.* 18 Πρόξενος. Græci *hoc loco*, Theophilo Προκόλλου, *Stu.* §. 46. *Inst. de rer. divis.* ubi perperam interpres *adventus* vertit, ut ibidem notavi. Non licet pronuntiatione hujusmodi professionum, sex plus nummis accipere, *l.* 26. §. 2. *C. de episcop. audient.* Constitutum est etiam, ut uxor marito ad istiusmodi processum donare possit, *l.* 41. *ff. de don. inter virum.* Plato, hujusmodi processionem vocari transitum: eoque sensu tradi, servum manumitti, posse in transitu, dum ludorum gratia procedit prætor, aut proconsul, legatusve Cæsaris, *l.* 7. *ff. de manum. vind.* 19 Spectaculorum finis. 20 Ψυχαγωγίαν vocat, ut & Plutarch. 2. *tit.* 4. § 60. 21 Εἰς τὰ ἱππόδρομον. 22 Εἰς τὰς τῶν θηρίων θέας τε καὶ ἀναιρέσεις, καὶ τὰς ἐπὶ τῆς σκηνῆς τε καὶ θυμέλης, κἀθυπόδικας. 23 De thymelicis alias dixi ad *l.* 10. *ff. de publicis.* 24 Primus consulum processus Kalend. Januarius fiebat.

25 Kal. Januariis consules initiabantur, ni moleberat magistratum, *l.* 36. *ff. de cond. & demonstr.* & prætores, *arg. l.* 5. *ff. de feriis.* 26 Secundus consulum processus. 27 Mappa, Circensis ludus, cujus rationem Cedrenus exponit, & Casiodor. 3. *epist.* 51. ad Faustum præc ectum prætorio. De mappa hoc addendum. Quinct. 1. *cap.* 5. Mappam usitatum Circo nomen Pœni fibi vendicant. Martial. 12. *Epigr.* 19. Cretatam prætor vellet cum mittere mappam, Prætori mappam furripit Hermogenes. Tertull. *cap.* 16. *de spectaculis.* Cognoscite dementiam de vanitate; *Missi* dicunt, & mittunt invicem, quod simul omnibus visum est. Teneo testimonium cæcitatis: non vident missum quid sit, & *mappam* putant: sed est diaboli ab alto præcipitati figura. His adde, quæ de mappa notat ex Græcis Josephus Scaliger ad 2. Manilii *sit.* Mittunt in tempore signum. Sed & his adjice Juvenalem, *Satyr.* 22. Interea Megalesiacæ spectacula mappæ. Suetonius *in Neron. cap.* 12. universorum se oculis in circo maximo præbuit, aliquo libero mittente *mappam*, unde magistratus solent. Hinc apud Tertullianum *libro adversus Valentinianum*, mappa missa est, ut hinc consset mappam initio indicem & promissionem Circensium futurorum fuisse. Post vero, ὅλων τῶν ἡμιθεωτάτων ὑπόπτων, *ut hic*, vocatam.

28 Tertius Consulum processus. 29 Θεάτρου κυκλογίαν. *Scrimg.* Venatio est theatrica.

30 Quartus Consulum processus. 31 Τὴν ἀκροάσεις μόνον. extat epigramma Leontii philosophi, ὅς τὰ μυκήματα. 32 Pancratium *Jul. hic.* παγκράτιον. *Scrimg.* Παγκρατιαστὴς, vetus interpres, & ideo sylvam appellat Capitolinus Gordian. Sylva est, quæ ex variis generibus arborum consstat, & Augustinus ad *Secundinum* testatur, pancarpum dici propter omnium generum, quæ inerant, herbas. Hinc Festo pancarpiæ coronæ, ex vario genere florum. fic Neleus jussus statuam erigere, ἀπὸ παγκάρπων ξύλων, erexit e quercu in qua offenderat multos variosque suspensos fructus, ut interpres Callimachi fribit. Appellatur & a Sophocle *in Oedipo* laurus παγκαρής. Reliqua vide apud Cujacium. hic addatur & hoc ex Tertulliano *adversus Valentinian.* Igitur ex ære collatitio quod ajunt, in honorem & gloriam patris pulcherrimum Pleromatis sydus, fructumque perfectum compingunt Jesum. Eum cognominant Soteram, & Christum, & Sermonem, de patruitis, jam & omnia jam, ut ex omnium deflorations constructum graculum Æsopi, Pandoram Hesiodi, Acci patinam, Nestoris Cocetum, *Miscellaneam Ptolemei.* Quam propius fuit de Atticis suffortis, Pancarpiam vocari a tam otiosis autoribus nominum. Quod si catam lectionem detendes, adde quæ de Pancratio scripsi ad *l.* 7. §. 4. *ff. ad l. Aquil.* 33 Quintus processus Consulum.

34 Εν δὲ πόρνοις καλοῦσι Scrimgerus. In quinta id faciat consul, quod porna dicitur. Jul. *hic.* πόρνα *hic*, productio meretricum. Seneca *primo epistolarum* 98. adde Isidorum 18. Florales jocos nudandarum meretricum, Tertullianus *cap.* 10. *de spectac.* Ipsa prostibula publicæ libidinis in scenam proterunt. Verum Alcatius vulgatam lectionem retinet, aut hac potius vera lectione non cognita, eam quam solam novere, cujusmodi incrustatæ nititur. Putat enim in *Seneca de Athletis*, Adorna locum fausse, quod in eo Cornutus spectaverit, πόρνα τὰ ἀδυνατοῦντα ἐστ cano, & ἀρῶν, quod est cerno. 35 Ridiculos γελωτοποιοὺς vocavit, vide Severum *Epist.* 122. Atellanas videtur intelligere. Galli *Farces:* ut & Atellanum gesticulatorem, *le badin ou farceur:* sicut Italorum *Zanni.* 36 Ἀκούσματα. id est, ubi nihil, nisi risu dignum, neque videtur, neque auditur. 37 Sextus Consulum processus. 38 Η τῶν καλουμένων ἱππικῶν, *Scrimger.* superius dixi de mappa. 39 Hic duplex est error, nec enim legendam hippomachia *ut* 8. *dixi.* & aliter finiendæ est hæc sententia, hoc scilicet modo, fen quæ vocatur mappa. sextum agens hunc conventum. Ex hoc, &c. 40 Septimus processus Consulum. 41 Παιγνιωνα. *Scrimg.* 42 Sic Germani, non dierum numerum, sed nocitum computabant, vid. Tacitum. 43 De qua dixi superius. 44 De venatione theatrali supra dixi. 45 Εν τοῖς σπανίως γινομένοις τὸ θαυμαζόμενον ἰσχύει. Raro quæ accidunt, magis miramur: quotidians negligimus. Juvenalis *Satyr.* 11. *in fin.* facere hoc non possis quinque diebus Continuis, quia sunt talis quoque tædia vitæ, Magna voluptates commendat rarior usus. 46 Notitia: quæ tamen periit. 47 Consularis fœmina, uxor consularis viri. *leg.* 1. *in fin. ff. de senatorib.* 48 Vide quæ scripsi *in epistolam Ernestorum, tit. de his quibus ut indignis.* 49 Id enim debeat videtur, nonnisi magnis affectionibus. 50 *l.* 10. *C. de nupt.* vide *l. ult. C. de incolis* & *l.* 8. *ff. de senator.* Quid vidunt? idem jus ei competit *Novell.* 22. *c.* 36. 51 Moris fuit Consulibus, nisiffilia in vulgus jactare, §. 46. *Inst. de rer. divis.* 52 *l.* 2. *Cod. de consulibus.* 53 Aurum spargere solipricipi aurum